

H. Sax. C
337 m

H. Sax. C
337 m



OLTA

ORATIO

DE

FELICITATE CONNUBII ET CONJUNCTIONIS
DOMUS PALATINÆ ET SAXONICÆ

AUGUSTISSIMARUM NUPTIARUM SOLENNIBUS
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

PRINCIPIS ET DOMINI DOMINI

FRIDERICI AUGUSTI

S.R.I. ARCHI-MARESCHALLI ET ELECTORIS
DUCIS SAXONIÆ &c. &c. &c.

ET

SERENISSIMÆ PRINCIPIS ET DOMINÆ
DOMINÆ

MARIÆ AMALIÆ AUGUSTÆ

COMITIS PALATINÆ RHENI,
DUCIS BAVARIÆ &c. &c. &c.



CONSECRATA

ET

NOMINE ACADEMIÆ HEIDELBERGENSIS

DIE 13. JAN. MDCCLXIX. HORA IX. L. Q. S.

HABITA

A

CAROLO BUTTINGHAUSEN

HIST. ECCLES. ET ELOQ. PROF. PUBL. ET ORDIN.

HEIDELBERGÆ,
TYPIS JOAN. JAC. HENER, TYPOGR. AULICO-ACADEMICI.

ORATIO

FELICITATE COMMUNI ET CONIUNCTIONIS
DOMUS PALATINAE ET SACRORUM

AUGUSTISSIMARUM VESTRARUM SOLEMNIUM
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS ET DOMINI DOMINI

FRIEDERICI AUGUSTI

DEI ARCHIEPISCOPI PALATINI ET ELECTORIS
DUCE SAXONIAE ET SACCIAE

Vota sollemnia pro incolunitate Tua solvimus.

PLINIUS Lib. X. Epist. 44.

MARIAE AMALIAE

AUGUSTAE

DEI COMITISSAE PALATINAE RHENI
DUCE SAXONIAE ET SACCIAE

CONSECRAVA

NOMINE ACADEMIE HELLENICAE

DIE 14. JAN. MDCCCLXIX. HORAE IX. P. M.

HABITA


CAROLO BUTTINGHAUSEN

PHYSICAE ET MATHEMATICAE

HEIDELBERGAE
TYPIS IOAN. JAC. NEUBERGERI, ANTIQV. LIBRARI.



Tit. Tit.


 Post luctuosum, nostræque Germaniæ per tres annorum decades fatale bellum; Auditores suis quisque elogiis condecoratissimi; post triste Musarum Heidelbergensium exilium, & diuturnum illarum inter raucos tympanorum & buccinarum strepitus silentium, prima vox Academica *hymenæa*, ut cum *Ovidio* loquar, cecinit, & Serenissimo CAROLO LUDOVICO, Electori Palatino, felicissimam gubernationem, auspiciatissimumque matrimonium cum CHARLOTTA Hassiaca, a Deo T. O. M. publico omnium ordinum nomine, in Auditorio Jure-Consultorum, a. MDCL. d. 27. Martii comprecatus est *Daniel Toffanus* (1). Eandem postea pietatem Augustis Principum Palatinorum Nuptiis præstitit Schola nostra, plaudente toto Musarum choro. *Paulus Hachenbergius* (2)

A 2

an.

(1) Quæ oratio votiva, *Heidelberga constituta, destituta, restituta*, audit. Confer. Verzeichniß einiger Schriften die Heidelberger Universität betreffend, a. 1763. in 8. voce *Toffanus*.

(2) Orationem, nomine Academiæ Heidelbergensis habitam, quum publicam Historiarum atque Eloquentiæ Professionem auspicaretur, insertam legimus scripto, a. 1672. in fol. hoc titulo edito: *Burze . . . Beschreibung dess jenigen, so bey der Vermählung Caroli . . . vorgegangen. De Hachenbergio* consulendus est clariss. *Joannis* in notis ad *Reigers* ausgelöschte *Simmerische* Linie p. 291 -- 301. qui tamen p. 296. in Epitaphio sequentia verba, e choro templi Petri supplenda, omisit: *MARITO. KARISSVMO. QVOCVM. NVNQVAM. REDIIT. IN. GRATIAM.*



a. MDCLXXI. d. 21. Sept. pro CAROLO, Electoralis dignitatis hærede, & WILHELMINA ERNESTINA, *Friderici III.* Regis Daniæ filia; *Jo. Laurent. Crollius* (3) d. 4. Julii a. MDCLXXXVII. pro Potentissimo Portugalliæ Rege, PETRO II. & MARIA SOPHIA ELISABETHA, *Philippi Wilhelmi*, Electoris Palatini filia; *Car. Frid. Pastoir* (4) a. MDCXCI. d. 2. Augusti pro JOHANNE WILHELMO Electore & MARIA ANNA LUDOVICA, Magna Hetruriæ Duce; *Jo. Henr. Linck* (5) a. MDCCXLII. d. 22. Jan. pro CAROLO THEODORO & ELISABETHA AUGUSTA; hi inquam omnes, pro augustissimorum Principum felicitate, publica in Academia nostra nuncuparunt vota, ipsissimis nuptiarum solennibus consecrata. Quam jucunda inde oritur superiorum temporum cum his nostris gaudiis comparatio. Si enim cogitamus Nuptias Saxonicas d. 17. Januarii celebrandas, non tantum Serenissimæ ELISABETHÆ AUGUSTÆ, Dominæ nostræ Clementissimæ, natalem recolimus diem, sed auspiciatissimum quoque CAROLI THEODORI, Electoris & Domini nostri Clementissimi, cum eadem Celsissima Principe Matrimonium. Vivit, quæ Dei est gratia, Serenissimus Pater patriæ, CAROLUS THEODORUS, præsidium, vita & spes nostra; vivit Serenissima ELISABETHA AUGUSTA, decus seculi, gloria Palatinatus. Precamur ex TERTULLIANO (6) *vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Principis vota sunt.*

Sacris

- (3) Prodiit Heidelbergæ in fol. a sermonis elegantia non minus, quam rerum varietate commendari meretur, ut bene judicavit *Harscherus* in oratione honori memoriæque auctoris Marburgi dicta p. 10.
- (4) Heidelbergæ edita in fol.
- (5) Typis excusa una cum programate b. m. *Philippi Ludovici Pastoir*, mei in munere academico antecessoris.
- (6) In *Apologet.* cap. XXX. p. 276. edit. Lugd. Bat. a. 1718. in 8. studio *Sigberti Havercampi.*



Sacris pro salute nostrorum Principum, hac favente oportunitate, rite litatis, immisceamus jam festivis populorum plausibus festiva nostra gaudia. Romani ludos solennes, festivitatemque publicam celebraturi, ad victimas, ad epulas, ad ludos, populum sæpius monetis, notissima inscriptione: **LÆTITIA PUBLICA** insignitis, atque hinc inde sparsis, invitaverunt & concitaverunt. Nemo nostrum, Auditores, in tanta communi lætitia, ut spero, in lætitiā evocandus erit. Germania, vel saltem melior Germaniæ pars, augustis tædis nuptialibus accendendis occupatur, & pro auspiciatissimo Electoris Saxoniae matrimonio cum Serenissima **MARIA AMALIA AUGUSTA**, unanimi suffragio, publica vota solvit. Celsissima Sponsa, **FRIDERICI** Bipontini, (quem **FRIDERICUM** si dico, omnia dico) Divi hujus **FRIDERICI** est Filia. Hanc Aula Palatina nascentem excepit, hanc ad fortunæ altioris cultum formavit, illi jam quoque de fortunatissimo conjugio gratulatur. Nec dici potest, quantam in Electorali totaque Serenissima Palatina Domo lætitiā hoc conjugium pepererit. Quæ tripudia in populo! qui ignes festive ludentes! lætissimis civium gratulationibus festisque acclamationibus omnia ita sonant, ut non nisi strepitans audiatur voventium vox. Quin saxa, montes, flumina, Rhenus, Danubius & Albis, voci respondent.

Nostra hæc antiquissima scientiarum & artium officina more majorum agere decrevit, meque publicæ pietatis interpretem dixit. Non enim ultro, ut nostis, Patres conscripti, has perorandi partes mihi sumsi. Verum enim vero, si cogito exiguam ingenii mei vim, tenuemque linguæ facultatem, vereor, ne vos fallat vestra de me expectatio. Est tamen ardor animi, qui me stimulat, est officii mei religio, quæ me urget, lætitiæque, quam in fronte vestra serena jam depictam cernere licet, audaciam dicendi largitur. Vix ullum aliud argumentum A. H.

B

tem-



tempori æque accomodatum videtur, quam quod sua sponte sese obtulit,

*De felicitate connubii & conjunctionis Domus
Palatinæ & Saxonicæ;*

Id quod nec inanibus verborum lenociniis, nec pictis figurarum coloribus exornare, sed modesta styli & vocis simplicitate exponere, rebusque ipsis & exemplorum documentis demonstrare contendam. Ipsæ enim res, teste *Cicerone*, verba rapiunt; & ita fit rebus cum gravior tum etiam splendidior oratio, quæ gravitatem ac splendorem ex dicendi habet argumento. Geminum cæteroquin quod in Academia & Ecclesia gero munus, atque inde resultans continua concatenatorum laborum series, qui vix libere me respirare sinunt, non permiserunt ulteriorem meis meditationibus (7) addere limam. Si igitur mea oratio minus sit ornata, nec satis digna hujus diei celebritate, res tamen, de quibus dicturus sum, cogitate, maxime dignas esse, quæ cum summa animi reverentia æque ac delectatione & voluptate audiantur.

O quam spatiosus mihi rerum campus panditur, & quam læta dicendi seges meos ante oculos versatur. Quæ tamen quoniam omnia ne quidem compendio recenseri, multo minus uberius atque distinctius explicari queunt, ex illa lætissima rerum copia, qua hæc materies abundat, duo modo decerpemus. Pace nempe vestra, Auditores æstumatissimi, dicam

I.) De felicitate connubii & conjunctionis Domus Palatinæ & Saxonicæ in genere;

II.) De felicitate Augusti inprimis Matrimonii, quo Serenissimus ac Potentissimus Saxonicæ Elector, FRIDERICUS AUGUSTUS, Serenissimam sibi jungit MARIAM AMALIAM AUGUSTAM, Comitem Palatinam.

Augu-

(7) Quæ illico quoque typis mandandæ erant.



I.

Augusta Palatina Domus, gloriæ & Nobilitatis famam per universam prope Europam diffundens, non tantum cum primariis Germaniæ familis, sed exteris etiam nationibus, cum Gallis, Anglis, Hispanis, Danis, Suecis, nuptialia sacra sæpe celebravit, pluresque produxit Imperatrices Reginaeque, quarum nomina, æternitati dudum sacrata, alii (8) exhibuerunt; ut jam nominis Palatini splendor & fœdera Gentis nostræ totum impleverint terrarum orbem.

Sed nimis longum foret per singula ire. Consideremus potius A. H. felicem Palatinatus & Saxonix conjunctionem. Magna semper fuit & inde ab ultima memoria Palatinæ Gentis cum Saxonica necessitudo, ingens morum & ingeniorum similitudo, maximusque mutuorum officiorum meritorumque numerus: quæ vero omnia arctissimo & sacro matrimonii vinculo continentur.

QVAM BENE CONVENIUNT, lemma ex *Ovidii* (9) Epistolis, & nuptialibus Principum Palatinorum nummis (10) satis est notum, quodque felicitatem connubii Domus Palatinæ & Saxonix egregie illustrat. Heic enim omnia *bene conveniunt*.

Canam & venerandam utriusque Gentis antiquitatem si intuemur, cum *Claudiano* merito exclamamus:

Quis venerabilior sanguis, quæ major origo!

Grande *Palatini* nomen, *Electoralis* dignitas, & denique late patens per Imperium auctoritas, quæ uno minor est Jove, id est *Vicariæ* potestatis splendor, triplicem rerum Palatinarum & Saxonicarum convenientiam nobis pandunt. *Electo*ratu

B 2

Vica-

(8) Videatur *Annulus Memoriae*, Serenissimo Principi JOSEPHO, Archiduci Austriæ, filiolo Cæsareo, dicatus & consecratus; cui *Annulo* ex nostro seculo divam *Josepham*, Imperatricem, inferere & addere par est.

(9) Epist. VII. Heroid. v. 187.

(10) Ex. gr. FRIDERICI V. Electoris Pal. & ELISABETHÆ Britan. apud cel. *Exterum* von pfälzischen Medaillen n. LXXXV. p. 83. 84. & nummo CAROLI THEODORI & ELISABETHÆ AUGUSTÆ, apud *Exterum* n. CCCCLXI. p. 491.



Vicariatus jura extra omnem dubitationis aleam sunt posita. In *Palatii* vero munere multi hærent. Ne ergo falcem in alienam messem mittere videar, vos auditores ablegare juvat ad trium. Viros doctissimos, *Hen. Coccejum* (11), *Jo. Pet. de Ludwig* (12), & cl. *Gundlingium* (13).

Accedit quoque morum ingeniorumque harmonia, quam prudentissimi viri amoris parentem appellarunt. Palatini æque ac Saxones, laudant Principes *Illustres*, *Magnanimos*, *Sapientes*, aliisque virtutibus condecoratos. Si inter illustrium familiarum ornamenta, pacis bellique artes, cum studiorum amore conjunctæ, principem occupant locum: Saxones jure exultant in *FRIDERICO Bellicoso* (14), Palatini in *FRIDERICO Victioso* (15); Saxones in *FRIDERICO Pacifico*, Palatini in *LUDOVICO Placido & Pacifico*. Maximi vero literarum statores, Musarumque benigni patroni utrinque occurrunt. Testatur id ipsum incredibilis Principum amor, quo omnes ad unum flagrarunt in quodvis scientiæ genus. Testatur id ardentissimum prorsus studium, quo Scholas non modo ab antiquissimis temporibus fundarunt, sed novis etiam privilegiis exornarunt. Nos A. H. de Rectoribus Magnificentissimis, ex Augusta Familia Palatina (16) ortis, merito gloriamur, & inde

. . . *Palatino crevit reverentia monti* (17).

Nec Serenissimos Saxonix Ducis atque Electores muneris hujus scho-

- (11) In oratione *de lege Salica*, Heidelbergæ habita, quum ordinariam Facultatis Juridicæ & Juris Gentium Professionem auspicaretur, præcipue p. 41.
 (12) In *Germania Principe*, quam sub ficto *Ludovici Petri Giovanni* nomine edidit, p. 456 - 458. edit. Ulmenf. an. 1752.
 (13) *Sammlung kleiner Schriften*. edit. Hallenf. an. 1737. p. 137. seqq. Magnificus Academiae nostræ Rector memorandum observavit diploma d. a. 1242. quod *Hahnus* Collect. Monument. p. 94. 95. ita exhibet: Nos *HENRICUS Landgravius Thuring. Comes Palat. Saxon. & Sacri Imperii per Germaniam Procurator*. &c. &c.
 (14) *FRIDERICUM Bellicosum*, Academiae Lipsiensis ante hos trecentos annos fundatorem, eleganter descripsit *Christianus Hübnerus* in singulari exercitatione academica, Halæ 1709. d. 30. Nov. ventilata.
 (15) Quem ex genuinis documentis nuper exposuit cel. *Kremerus*
 (16) Videantur programmata an. 1765. 1766. 1767. 1768. edita.
 (17) *Claudignus VI. conf. Honorii*.



scholastici pudit, sed consulatu in academia Lipsiensi. (18) sæpius sunt functi.

Cum jam tanta sit generis, dignitatis, famæ atque virtutum similitudo, quis nostrum A. H. dubitabit de felici conjunctione faustoque connubio utriusque Domus. Quam felicitatem exemplorum quoque documentis delineare juvat. Palatinatus enim nullo non seculo Saxonibus dedit, ab iisque accepit uxores.

In illis, quibus inclusus eram, temporis angustiis, felix alioquin memoria quatuor tantum Palatinos mihi suggestit, qui conjugio Saxonico haud exiguum stirpi suæ splendorem intulere.

LUDOVICUS *Dives*, inferioris Bavariæ Dux, qui firmissima cum *Friderico Victioso* amicitia, eademque plane fortuna usus, hoc est, ubique vicit & triumphavit, torum partitus est cum AMALIA (19) *Saxonica*, ex qua præter *Georgium* successorem, & genuit *Margretham*, uxorem *Philippi* Electoris Palatini.

Si ingredimur A. H. majorem hanc Academiae aulam, tabula nuper renovata, splendidam *Collegii* quondam *Casimiriani* inscriptionem (20) nobis exhibet, & jucundam *Johannis Casimiri*, memoriam conservat. Et hic quoque JOHANNES CASIMIRUS, *Friderici III.* Electoris filius, Palatinatus Administrator, auspiciatissimo sibi connubio junxit ELISABETHAM, *Augusti* Saxoniae Electoris filiam (21). Qua de re Principi gra-

(18) Dissertationi de FRIDERICO *Bellicoso* n. 15. laudatæ p. 50--67. adjicitur *Syllabus omnium Rectorum Academiae Lipsiensis a fundatione an. 1409. usque ad annum Jubileum 1709.* quos inter eminent Duces Saxoniae, quibus ex nostro ævo addendus est FRIDERICUS AUGUSTUS Elector & Poloniae Rex.

(19) Videatur *Joannis* in adnotat. ad *Pareum*. p. 94.

(20) Quam *Adami* quoque monumenta *Heidelbergensia* p. 121. & *Parei* Hist. Pal. p. 503. exhibent.

(21) Vid. *Parei* Hist. Palat. p. 306. Et hinc arctissima JOHANNI CASIMIRO necessitudo & fraternitas, ut loquitur *Pareus* l. c. p. 305. intercedebat cum CHRISTIANO Electore Saxoniae.



gratulatus est *Henricus Fabricius* (22) Medicus & Scholæ Hornbacensis in terris Bipontinis Rector.

PHILIPPUS WILHELMUS AUGUSTUS, *Philippi Wilhelmi* Electoris Palatini filius, conjugali vinculo sibi sociarat ANNAM MARIAM FRANCISCAM, *Julii Francisci*, Ducis Lauenburgensis filiam (23), sed præmatura morte decessit.

Si vero A. H. desideratis Principes Palatinas Saxonibus sociatas, mihi statim ex antiquis patriæ monumentis animo obversatur heroina AGNES, *Conradi* Comitis Palatini filia, HENRICO matrimonio juncta (24), qui sese *Ducem Saxonie Comitem Palatinum* in diplomatibus (25) scripsit.

Hanc sequitur RUDOLPHI Ducis Saxonie uxor, ANNA Palatina, *Ottonis* Illustris vel soror, vel filia aut neptis (26).

Fridericus III. Elector Palatinus, ex secundo cum Maria *Brandenburgica* conjugio, duas Saxonie filias tradidit. ELISABETHA an. MDLVIII. (27) JO. FRIDERICO Gothano fidem addixit conjugalem, & vel carcere per XXII. annos maxime probavit (28). SUSANNA vero DOROTHEA an. MDLX. Heidelbergæ cum JOH. WILHELMO Vinariensi (29) nuptias solenniter celebravit, Academiae quoque gloriosas. Theologi enim Saxonici copiose & per plures dies jussu Principum cum nostris disputarunt (30). Ex *Actis Academ. MS.* (31) pauca excerpam. *Fridericus III.* Elector, comitatus Duce Saxonico

Jo.

(22) Hujus gratulatio ad Joannem Casimirum, Comitem Palatinum Rheni, & Elisabetham, Augusti Saxonie Principis Electoris, filiam, Heidelbergæ prodiit an. 1570. Vid. Jo. Alberti Fabricii Centuria I. Fabriciorum p. 37. & conf. Centuria II. p. 51.

(23) Vid. Cl. Joannis append. II. ad Pareum p. 575. & Miscell. Hist. Pal. p. 256. ut & cel. EXTERUS von psälzischen Medaillen p. 307. §. XCVII.

(24) Vid. Parei Hist. Pal. p. 127. 128.

(25) Vid. Joannis in append. I. ad Pareum p. 438.

(26) Conf. Parei Hist. Palat. cum Joannis adnotat. p. 66. n. III. & p. 68. & p. 154.

(27) Pareus l. c. p. 279.

(28) Quanta in maritum fide fuerit ac affectu annales non tantum, sed etiam nummi loquuntur apud Exterum p. 60.

(29) Pareus l. c. p. 279.

(30) D. 3. 4. 5. 6. 7. Junii an. 1560. Vid. Altingii Hist. Pal. Eccles. p. 182. edit. I. sed edit. II. p. 72. ut & Struvii Psälz. Kirchenhist. p. 94. 104.

(31) Ex lib. VIII. fol. 436 seqq. Ipsissima vero Annalium verba adduximus.



Jo. Friderico genero & filiis duobus, *Ludovico & Casimiro*, ex arce in scholam nostram descendebat. Rector & Senatores obviam ei cum insignibus procedunt, ac paucis verbis reverenter a Rectore salutatus rogatusque ut Academiam hanc, Majorum suorum pia munificentia & liberalitate fundatam conservatamque, Sibi quoque commendatam haberet, in Auditorium deducitur. Hæc procul dubio vobis A. H. in memoriam revocant amœnitates illius diei, qua non ita pridem (32) Serenissimus noster Elector, **CAROLUS THEODORUS**, simili plane apparatu academico deductus est in hanc nostram Aulam. Sed redeamus illuc, unde divertimus. In has **JO. WILHELMII & SUSANNÆ DOROTHEÆ** nuptias eclogam satis elegantem scripsit *Petrus Lotichius*, Heidelbergæ tum (33) editam, & Lipsiæ notis *Joachimi Felleri* recusam (34).

Simmerensis nos Linea ducit ad Neoburgicam. **ANNA MARIA**, *Philippi Ludovici* filia, jucunde vixit in conjugio **FRIEDERICI GULIELMI** Saxoniae Ducis, & Electoratus illius Administratoris (35).

HEDWIGEM AUGUSTAM, *Christiani Augusti*, Neoburgico Solisbacensis, & *Amaliæ Magdalenaë*, Nassovicæ, filiam in thalami consortem delegit **JULIUS FRANCISCUS**, Saxoniae Dux (36).

II.

Hactenus A. H. ex antiquis historiae monumentis delineavimus felicem Domus Palatinae & Saxonicae conjunctionem. Sed viva quoque recentioris ævi testimonia adsunt. Serenissimus ac Potentissimus Bavariae Elector, **MAXIMILIANUS JOSEPHUS**, in suavissimo vivit matrimonio cum **MARIA**

C 2

AN-

(32) Anno MDCCLXV.

(33) An. 1560. edita erat in 8. Legitur quoque in opp. *Lotichii* P. 255 seqq.(34) An. 1682. in 8. Eandem Eclogam *Elias Reufnerus* operi genealogico-catholico inseruit p. 237. edidit. Francof. an. 1612. in fol.(35) Vid. *Pareus* Hist. Pal. p. 205. *Exter* von psälzischen Medaillen p. 199-202.(36) Vid. *Joannis* append. II. ad *Pareum* p. 512. & *Miscell. Palat.* p. 251. 252.



ANNA SOPHIA, *Augusti*, Regis Poloniae & Electoris Saxoniae, filia. Neque vero Te, MARIA ANTONIA WALPURGIS, *Caroli VII.* Imperatoris Bavariaeque Electoris filia, silebo, cujus auspiciatissimum cum Electore Saxoniae Matrimonium, vel inter varias belli injurias, larga prole lætum fuit. Et hic Divus jam FRIDERICUS CHRISTIANUS, *nullum sane monumentum*, judice *Tullio*, patriæ *clarius relinquere potuit, quam effigiem morum suorum, virtutis, constantiae, pietatis, ingenii, Filium FRIDERICUM AUGUSTUM.* Quem optima Mater per Majorum & Magni imprimis Parentis illustrem & nobilissimum tramitem, atque signata cælo vestigia, tanta prudentia & moderatione duxit, ut jam omnes in admirationem sui rapiat. Non secus ac Apollo inter Musas Lipsienses nuper versatus, & hac sua præsentia imitatus est *Tiberium & Claudium* Cæsares, qui docentibus Auditores nonnunquam se probaverunt, & perorantibus sæpius nec expectati intervenerunt. Hic jam Princeps, cum felicem Domus Palatinae & Saxonicae conjunctionem animo voveret, Augustos Majorum Manes honoravit beneficio pulcherrimo, dum prisca fœdera Palatinos inter & Saxones restituit, ac Serenissimam MARIAM AMALIAM AUGUSTAM, Principem Palatinam, penatibus inducere decrevit.

Cellissimæ Sponsæ Parens, Divus FRIDERICUS, *recessit quoque a nobis, sed tantus Imperator, ut cum S. Ambrosio in funere Theodosii loquar, non totus recessit.* Reliquit Filios filiasque, in quibus FRIDERICUM ipsum reviviscentem agnoscimus.

Maneat alta mente repostum Dei T. O. M. effatum: *Dii in terris sunt Principes, verum moriuntur ut homines.* Sed his in tenebris, ubi plurima mortis imago, lux subito nobis oritur, & quem ex funeribus Domus Palatinae & Saxonicae animo conceperamus dolorem, detergit jam sensus gaudiorum & plausuum



suum. Vivunt post funera beatissimorum Principum virtutes, & cognatione quadam continentur in Augusto Matrimonio, pro cuius felicitate jam vota solemnia solvimus.

Datum hoc nobis & Germaniæ divinitus matrimonium. Certum enim est a superis amores mortalium agitari & conjugia componi. Quale quantumque istud est connubium! quam bonis omnibus exoptatum! dignitate augustum, affinitate validum, splendore magnificentum, omine fortunatum.

Cernimus A. H. Principes in viridi ætatis flore, ad auream Saxoniam ætatem reducendam, singulari quodam Numinis consilio natos. Vivant, vigeant, floreat. Sera ac tarda sit dies, quæ Illos, terris ademptos, cælo inferat.

Laudant omnes in Serenissima Sponsa florentissimæ formæ speciem, oris venustatem, dulcissimam frontis hilaritatem, radiantem oculorum fulgorem, totiusque corporis majestatem. Laudant eximias animi dotes atque virtutes, *Ciceroni* leniores dictas, ab ipsis majoribus una cum sanguine in Principem nostram derivatas, humanitatem, mansuetudinem, misericordiam, liberalitatem, clementiam. Verum enim vero, hæc virtutes, æque ac in Serenissimo Sponso, sunt omni præconio majores. Salve Augustum par Conjugum, salve orbis terrarum amor, ornamentum sæculi, blanda populorum spes, desiderium generis humani.

Cum juxta *Nasonis* illud, *omnia principiis semper inesse solent*, sacra Augustissimarum nuptiarum solennia non tantum incidunt in regiminis auroram, sed in primum etiam anni nuper inchoati mensem. Id quod nobis novum & memorabile omen affundit. Felix fuit superioris anni finis: fausta sunt hujus anni auspicia. Fluant sic candida & læta semper tempora, nec ulla unquam dies hanc jucundissimam vitæ omniumque rerum societate mcerore conturbet. Gratulamur Serenissimo ac Potentissimo FRIDERICO AUGUSTO de augusta, summæque

D

pro-




proxima, qua modo præfulget, Electorali dignitate & amplitudine; quam ut multos teneat annos, ac præclaras, quibus eminet, dotes in amorem & utilitatem subditorum impendat, & optamus & precamur. Sed jam A. H. intelligimus & de felicitate imperii & de perennitate ejusdem Electorem esse sollicitum. Hæc enim non ultima Principum laus est, non tantum felix in subjectos sibi populos ordiri imperium, sed & felicitatis sancire perpetuitatem. Magnum profecto est imperare feliciter. Ast longe majus est, ita imperii continuare felicitatem, ut in longa successorum serie semper eadem sit, & florem quo fundata est, eundem tueatur & ornet.

In nupero ferali bello, cujus ipsa Saxonia, licet ab eo abhorreret quam maxime, pars tamen fuit haud minima, flammis & ferro vastabantur omnia. Sed jam post tantam temporum asperitatem, tamque diram factorum inclementiam, alta fruitur pace, sanctissimisque matrimonii auspiciis stabilitur felix Saxonia. Felici omine Tuum, FRIDERICE AUGUSTE, thalamum ingreditur Serenissima Sponsa, FRIDERICI Bipontini Filia; qui FRIDERICUS, Heros omni humana laude superior, inter ambigua temporum bellicæque fortunæ repentina momenta & vices, Cæsari & Imperio fidem, Saxoniam prudentiam bellicam, & vel hostibus virtutem probavit. Tu alma *Dresda*, si tibi sensus aliquis, si quis linguæ usus, dic quid pietatis, quid religionis debeas FRIDERICO. Ille in cælis triumphat. Sed Serenissima ipsius Filia appropinquat mœnibus tuis; Cui abeunti lacrymas nostras donamus & vota.

Glorioso FECVNDITATIS AVGVSTÆ titulo, in nummis cum astantibus parvulis cæsaribus æternitati sese ostentant Romanorum Augustæ. Serenissima MARIA AMALIA AUGUSTA, Diis genita & genitura Deos, suos ad seram temporum longinquitatem propagabit nepotes. Deus T. O. M. det *Augustis* his Principibus charissima amoris pignora, munimenta imperii, solatia nationum, gaudia populorum. Ipsa blanda *Venus* suum hoc anno cursum accelerare videtur, ut casta tori gaudia cum *sole*, & per solis radios planetarum incolis communicare possit. Serenissima AUGUSTA in sobole se ipsam, virtutemque & fortunam suam læta intueatur, & *Fridericorum Augustorumque*

. *Sacrata*
Nomina in Augustis faciat revirescere cunis.



Hist. Saxon. C. 337_m

H. Sax. 400₁₃

provincia, qua modo perfolget, Electorali dignitate, & ampliat
 rodine; quam et multos tenet annos, ac precibus, quibus emi-
 nat, dotes in amorem & obedientiam subditorum impendit, &
 optantibus precatur. Sed jam A. H. intelligimus & de
 perpetuitate & de perennitate ejusdem Electorem esse laborantem.
 Hinc enim non utrum Principum laus est, non tantum sed & in
 subiectos sibi populos, ut in hunc pertinet, sed & felicitati hinc
 propaganda. Sequitur proinde in Imperio laus. Ad
 longe major est, ita imperia continuare felicitatem, ut in longis
 faecellorum serie semper eadem sit, et haecem quae fundata est
 eandem regere & ornet.

In nupero terali bello, cuius ipsa Saxonia, licet non in
 hostes quam maxime, participem fuit haud minima, flammis
 & ferro vastatae sunt. Sed jam post haec non desperata
 dispersam, excepto sumo laetum reversionem, ad hunc
 per sanctissimae matronae auspicio stabilior salix Saxonia.
 Felici omni forma **FRIDERICE AUGUSTE**, cuius
 impediunt Saxoniam **FRIDERICI** Electoris Filia,
 qui **FRIDERICUS**, Heros anni numero laeta laetitia, in
 ter antiqua temporum bellicaque laetitia, in
 & vices, Ceteri & Imperio, sedem, Saxoniae prudentiam belli-
 cam, & vel hostibus virtutem probavit. Tu alma **Dressa**, in
 hinc status aliorum, & quae lingua usus, die quae pietatis, cui
 religionis debetis **FRIDERICO**, ille in oculis quae
 Sed Serenissima ipsius **Fara**, appropinquat incruentis, hinc
 abentis lacrymas nostras donamus & vota.

Gloriosa **FRANCISCAE AUGUSTAE** Child, in mundo
 esse praesens, hinc in hinc aternitati se obsequium
 manorum Angulic. Serenissima **MARIA AMALIA AUGU-
 GUSTA**, Dns genita & genitrix Dns, hinc ad hinc
 eos longinquitate per hinc aspectu. Dns T. O. M. de
 Augustis hinc Principibus charissima amoris pignora, munimenta
 Imperii, solatis nationum, gaudia populorum. Ipsa blanda
 nos tuam hoc anno cursum accelerare videntur, ut casta tota
 dia tunc se de per hinc rarios planetarum incolis commutetur
 prope Serenissima **AUGUSTA** in hinc se ipsam, virtutemque
 & hinc hinc hinc laeta incueat, & **Fridericorum Augustae**

*Servata
 Memina in Augustis facies redirescere tunc.*

Handwritten notes in the bottom left corner, including the number 227.

STANISLAUS





